

Fig. 7. *DICKSONIA arborescens.*

- r) Pinnula.
- f) Fructif. aucta.
- t) Involucrum interius.
- u) Invol. exterius.

Fig. 8. *HYMENOPHYLLUM*, nova species?

- v) Portio frondis.
- w) Pars ejusdem aucta.
- x) Fructif. in statu naturali.
- y) Involucrum arte expansum.
- z) Capsulae.

Fig. 9. *SCHIZAEA dichotoma.*

- aa) Apex frondis fructificantis.
- bb) Aucta.
- cc) Involucrum.

Fig. 10. *GLEICHENIA polypodioides.*

- dd) Portio pinnae.
- ee) Lacinia aucta.
- ff) Capsulae apertura.

Fig. 11. *DANAEA nodosa.*

- gg) Portio pinnae.
- hh) Capsularum congeries aucta.
- ii) Ejusdem interna structura.

---

X.

T A B U L A  
P L A N T A R U M F U N G O S A R U M ,

AUCTORE

JOANN. JACOB. PAULET,  
Doct. Med. Paris. Acad. Med. Madritens. Socio, etc.

Dum fungorum (hic plantarum fungosarum) historiam jam multis abhinc annis molimur, typisque regiis mandatam in singulos dies expectamus tradituri, qui moras aegre patiuntar, ad tabulae vel compendii cujusdam fungorum methodi nostrae evolu-

gationem nos enixe promovere. Quare, votis perspectis, et si hujusce historiae **tomus** primus a praelo jam sit liber et expeditus, et secundus ad calcem protrahatur, hanc tabulam tanquam operis prodromum prodire non intempeste esse visum fuit.

Opus, de quo excerpta est, gallico sermone scriptum, duabus partibus includitur, quarum prima, sive fungorum, juxta inventi tempora descriptionis, sive scriptorum variorum de fungis narrationem chronologicam analyticamque sistit, quam proxime sequitur duplex synonymia fungorum, scilicet generum et specierum; eo fine, ut omnia nota una patefierent, et lux quaedam assulgeret in tenebris. Huic additur vocum latinarum index, ut conducibilis, ideo locupletissimus.

Secunda vero pars, altero volumine, fungorum, qui praesertim in Gallis reperiuntur, methodicam distributionem, huicce tabulae consentaneam, exhibet, una cum accurata specierum descriptione, indigitans, data occasione, ipsarum loca natalia, tempestatem idoneam, indeoles, casus ex ipsarum esu aversos, plura experimenta sive chemica, sive in animalibus capta, eo scopo, ut dubiis sudes, toxicis alexiterium vel quid refranans, esculentis vero condimentum salubrius daretur, ne alii nocerent, alii fierent ancipites cibi. Hic additur etiam vocum gallicarum imo vulgatissimarum juxta varia Galliae idiomata, index, ut nulli, in primis non extraneo, haec pars esset aliena, et omnibus fuisset commoda. Operi subnectuntur, tertio volumine, specierum memoratarum eodemque ordine dispositarum icones ad vivum expressae picturataeque, tabulis aereis N. CC disperitiae.

De fungorum ordine hic instituto nihil addemus, cum jam ampla dicendi data fuit occasio: hoc unum subjicitur, quod si quis nos a trita via nimis recessisse ratum non habeat, cum generum characterem praecipuum non a structura partium, juxta Dillenii Linnaeive mentem in pluribus, nec a fructificationis partium apparatu, juxta Michelii, Adansonii, Gleditschii in quibusdam et praesertim Hedwigii industria, sed a fungorum intimiori textura substantiave, scilicet ab ipsa plantae natura, deprompsimus, nihil inconsulte a nobis statutum illi persuasum fit; et dum agitur de genere quodam instituendo detegendove in natura (quidquid huic invento contradixerit clariss. Oeder), satius est jurare in naturae verba, quam in verba magistri.

---

### PLANTAE FUNGOSAE \*).

Non in errore versari videntur, qui plantas fungosas in regno vegetabili tanquam peculiarem provinciam ab omni alia diversam, certisque limitibus circumscripatam habent.

Equi-

\* ) Vocabula, *fungi*, *fungitae*, *sarcophitae*, *plantaes carnosae*, *plantaes funginae*, ad selectionem, in incerto tenebant: *plantaes fungosae*, pro nomine gentilitio omnibusque congruenti, convenientius visum.

Equidem, hae terrae fruges frondibus floribusque saltem conspicuis carent; substantia propria, scilicet carnosā, in principio semper molli et alba donantur, cuius in universum protrusio propera, duratio brevis, textus aquositate fragilitateque insignis, et corpus ad putridam liquationem primum.

Hae fruges inerito plantae dicuntur, cum germinent, radiculas moveant, et semina, quorum quedam seruntur, emitant.

Non sunt animalia aut animalculorum domicilia, cum nulla locomotione vel irritabilitate donentur, et gelatum animale vel calcaream materiem haud suppeditent, in quo praecipue distant a spongiis, corallinis et aliis animalculorum domiciliis. A lichenibus, muscis, fucis, byssis, cum quibus aliquam adfinitatem vicinitatemque alunt, discrepant, quod cupulis crustaceis tartareisve instructae non sint, ut lichenes; nec frondosae virentesque, fetis, urnis, calyptis, aut germinibus insignes ut musci; nec utriculatae ut fuci; nec filamentosae ut byssi. Sunt plantae mere carnosae, structura simplici praeditae, quarum pars praecipua in multis est tabula, id est, capitellum tabulatum, cum vel absque pediculo; in aliis membrana plicata vel diversimode extensa; in aliis caulis simplex surculatusve; in aliis demum massa rotundata; in omnibus semina gestans vel in callo quadam partis inferioris tabulae, vel in foveis, plicis, aut sub quadam epidermide membranae tecta, vel in superficie caulis sparsa, vel in interioribus globi incarcerata: unde, primo intuitu, ratione habitus, generatim in quatuor capita five classes redigi possunt, scilicet in *tabulatas*, in *membranaceas*, in *fastigiatas*, et in *globatas*.

### CLASSIS I.

#### *Plantae fungosae tabulatae.*

Plantae fungosae tabulatae dicuntur illae, quarum pars praecipua est capitulum tabulatum, hoc est, complanatum orbiculatumque, plus minus horizontale, cuius centrum semper crassius oris.

Hujusce classis plantae sunt ordine dupli; nam aliae medium partem tantum capitelli per medium transversim secti ad instar semicirculi, gestant lateraliter et arcte arboribus insertam, in directionem horizontalem ex crescentem; et aliae e solo, ut solemne est, verticaliter surgentes, pediculo plus minus longo insident. Hae *Agarici*, illae *Fungi* nomine salutantur, qui tanquam duo capita praecipua five ordines plantarum hujusce classis habentur.

*Agarici*, ratione substantiae naturaeque propriae, sunt multiplicis generis; nempe alii substantiam subereum, fatuam et fere mere ligneam gestant; alii partim fibris pectinatis renixus capacibus, partim textu spongioso tomentosoque conflatam et una ex toto flexilem, coriaceam, suavissimeque odoratam; alii textu mere tomentoso, id est, igniario fargata; alii quasi gelatam, pellucidam tremulamque; alii pulposo-carneam succosamque, carni musculosae fibris pinnatis haud absimilem; alii pulposam, albam et initia drupae fructuum quorumdam, dum recens, friabilem, dum sicca est; alii denique carnosam et fragilem, vetustate lignosam: unde plura genera, quorum character longe

alius

alius ab alio distans, a plantae ipsa natura deponit, quaeque hic inscribuntur nominibus, ut dicunt relativis, nempe *Agarico-suber*, *Agarico-pecten*, *Agarico-igniarium*, *Agarico-gelidium*, *Agarico-carnis*, *Agarico-pulpa*, et *Agarico-fungus*.

GENUS 1.

*Agarico-suber* (Agaric-liege).

**AGARICO-SUBER** est plantae fungosae genus tabulatum, semiorbiculatum parasiticumque, substantia homogena, sicca, subereo-lignosa praeditum.

Hujusce generis species, ratione habitus structuraeque inter se distant; nam aliae alterutram superficiem tabulae profunde scalptam, et velut daedaleis sinubus disseppimento medio excavatam gestant: aliae lamellis ex ordine radiatis striatam; aliae tubulis arcte congestis conflatam una cum corpore in plures lobos distincto; aliae velutius cupidibus dentibusve echinatam; aliae denique poris minutis spinulisve exasperatam, una cum totius corporis tenuitate veluti papyracea: unde quinque distinctae familiae, quae *Agarico-subera daedalea*, *Agarico-subera radiata*, *Agarico-subera tubulata*, *Agarico-subera dentata*, et *Agarico-subera papyracea* dicuntur, quarum soboles intus sumptae nullam noxam inferunt animalibus, cum in omnibus substantia sit satuo sapore, absque acredine, et mere ligneo-suberosa, ideoque nullius effectus.

GENUS 2.

*Agarico-pecten* (Agaric-nerf ou agaric pétoncle).

**AGARICO-PECTEN** est plantae fungosae genus tabulatum parasiticumque, semiorbiculatum, substantia partim tomentosa spongeosaque, partim fibrosa, ex toto coriacea, sua-veque olente praedium, in pectunculi formam excrescens.

Hujusce generis plantae unicam familiam statunnt, cuius species, etsi odore suavissimo donentur, incerto tamen et non tuto usu sunt, cum animalia, quibus sunt ingestae, veluti torminibus torquentur, et molestiam patiuntur cum alvi fluxu.

GENUS 3.

*Agarico-igniarium* (Agaric-amadou).

**AGARICO-IGNIARIUM** est plantae fungosae genus tabulatum, semiorbiculatum, parasiticumque, substantia interiori mere tomentosa, ignique pabulum praefatore idonea donatum.

Hujusce generis species quadruplici modo sese habent; nam aliae substantia alba homogeneaque praeditae et veluti stratae unam tantum superficiem prae se ferunt; aliae substantia rufa homogeneaque donantur cum dupli pagina; aliae eadem substantia struuntur, et praeterea corticali tubulosaque, cum pedis equini facie; aliae tandem eadem dupli substantia gaudent una cum pediculo laterali veluti trullam referentes: unde distinctae quatuor familiae, scilicet *Agarico-ignaria alba*, *Agarico-ignaria rufa plana*, *Agarico-ignaria rufa rugulata* et *Agarico-ignaria rufa trullata*, ex quibus nulla species animantibus noxia toxicave, cum unicuique sit substantia mere tomentosa, acre-dinis saporisque expers, non alio modo ac spongia aut corpus satuum aqua turgens

agens,

agens, ideoque nec ad esum idonea, nec stricte perniciosa; sed intus sumptae confectionem non subeunt, et molestiam creant.

GENUS 4.

*Agarico-gelicidium* (Agaric-gelée).

**AGARICO-GELICIDIUM** est plantae fungosae genus tabulatum parasiticumque, semi-orbiculatum, substantia veluti gelatinosa pellucidaque donatum.

Hujusce generis species, ratione habitus structuraeve partis inferioris tabulae dupli modo prodeunt; nam aliis haec superficies nullo callo sed sulcis tantum exaratur, et aliis eadem spiculis papillaribus veluti denticulis scatet: unde duplex familia horumce agaricorum, qui *Agarico-gelicidia laevigata*, et *Agarico-gelicidia dentata* inscribuntur, quorum sfooles intus sumptae nullam noxam inferunt animalibus.

GENUS 5.

*Agarico-carvis* (Agaric-chair).

**AGARICO-CARNIS** est plantae fungosae genus tabulatum parasiticumque, semi-orbiculatum, substantia homogenea pulpo-carna, instar carnis fibrosae, praeditum.

Hujusce generis species, ratione habitus, tripliciter sese habent; nam aliae linguae aut hepatis formam praeferunt cum grata rubedine; aliae rotundantur, et aliae veluti flammicantes exstant: unde tres familiae, scilicet *Agarico-carnes LINGUAЕ dictae*, *Agarico-carnes MALA dictae*, et *Agarico-carnes flammicantes*, quarum germanae fruges plurimae edules, nulla vero animalibus infesta.

GENUS 6.

*Agarico-pulpa* (Agaric-pulpe).

**AGARICO-PULPA** est plantae fungosae genus tabulatum parasiticumque, semi-orbiculatum, substantia pulposa alba grave aut suaviter olente donatum, quae dum recens tenax ponderosaque, secca vero levis friabilisque exstat.

Hujusce generis species triplici modo sese habent; aliae enim lata foliaceaque, aliae conchata, et aliae ungulata facie produnt: unde tres familiae inscriptae *Agarico-pulpaе foliaceaе*, *Agarico-pulpaе conchatae*, et *Agarico-pulpaе ungulatae*, quarum germanae species omnes noxio usu, aut saltem haud tuto sunt.

GENUS 7.

*Agarico-fungus* (Agaric-champignon).

**AGARICO-FUNGUS** est plantae fungosae genus tabulatum parasiticumque, semi-orbiculatum subitusque lamellatum, substantia homogenea donatum, quae, dum recens, pulposa fragilisque, matura vero vetustave dura lignosaque.

Hujusce generis species unam tantum familiam fistunt, scilicet *Agarico-fungos*, quorum alii *conchati*, alii *cochleariformes*, alii *lingulati*, alii *flabelliformes* exstant, ex quibus, nisi aliquot flabelliformes, nulli animalibus infesti, imo edules eximiaeque notae.

*Fungi* vero, scilicet plantae tabulatae ordinis secundi, licet innigense numerosi, indole, facie, magnitudineque, etc. admodum diversi. juxta mentem universalem antiquitatis, Tournesortii, Vaillantii et aliorum unum tantum genus statuunt ejusdem nominis, scilicet *Fungum*.

### GENUS 8.

#### *Fungus* (Champignon).

**FUNGUS** est plantae fungosae genus tabulatum capitatumve, pediculo insidens, verticaliter surgens, substantia molli, carnosa fragilique donatum, ad umbellae umbratilis vel infundibuli formam proxime accedens.

Ab Agarico-fungo, cum quo majorem adsinitatem vicinitatemque alit, differt in primis in eo, quod per latus non adhaereat arboribus, non exrescat horizontaliter, et lignosus non fiat.

Hujusce generis species, ratione habitus, indolis propriae, magnitudinis structuraeque partium, sunt multiplici ordine, divisionumque plurium capaces; aliae enim capitellum dimidiatum et veluti verticaliter sectum tantum habent, et aliae idem integrum, scilicet ex toto orbiculatum: unde prima praecipuaque fungorum divisio in *dimidiatos* seu *incompletos*, et in *completos*.

Ex *dimidiatis*, ratione structurae partis inferioris tabulae in aliis lamellatae, in aliis porosae, duae exoriuntur familiae, quarum una lamellatos, altera porosos includit, quae inscribuntur *Fungi dimidiati lamellati*, et *Fungi dimidiati porosi LEPUSCULI dici*, quorum soboles, una tantum excepta, nullam noxam inferunt animalibus, imo plurimae edules, tutissimaque natura sunt.

*Completi* autem, ratione pediculi vel ad centrum tabulae, vel versus latera inserti, in duo dividuntur, nempe in fungos *non centrali pediculo* et in fungos *centrali pediculo*. Qui pediculum extra centrum capituli insertum habent, gallice *Escudarde* dicti, vocabulum idem sonans ac si diceretur *scutum vibrans*, ratione substantiae tripliciter exstant; nam alii *scutum suum*, id est, capitellum coriaceum soleae quodammodo simile, unde horumce aliud vulgare vocabulum, scilicet *Savatelle*, pullo vel nigro colore tintum gestant; alii idem substantia carneo-suberosa fuligineoque colore distinctum; et alii idem molliori substantia superficieque fordide lutea maculataque praeditum gerunt: unde ipsorum tres distinctae familiae, quae hic *Scuta vibrata pilla SAVATELLAE* dicta, *Scuta vibrata fuliginosa*, et *Scuta vibrata maculata*, quorum soboles aliae porosae, aliae echinatae, aliae lamellatae, indole sua inter se distant; echinatae nempe, seu coriaceae seu molles, noxae, porosae tuctiori usu et in universum edules, lamellatae vero noxa non immunes.

Fungi, qui pediculum centro capituli insertum habent, scilicet *fungi* proprio nomine et solemnius sic dicti, admodum numerosi, ratione structurae partis inferioris capituli in aliis echinatae, in aliis veluti nervis aut venis exaratae, in aliis quasi textilis, in aliis laminis radiatis sulcatae, in aliis porosae, et in aliis laevigatae, in totidem sub-

ordi-

ordines dividuntur, nempe in fungos *echinatos*, *venosos*, *textiles*, *lamellatos*, *porosos*, et *utrinque laevigatos*.

*Echinati*, a forma praesertim pediculi *Capreolini* dicti, familiam instituunt, cuius soboles omnes eximiae notae edulesque, hic inscribuntur *Capripedes*.

*Venosi*, ratione habitus capituli prima fronte veluti gyrati et vulgari nomine *gyrantes* dicti, hic *Gyrantes communes* inscripti, alteram familiam statuunt, cuius soboles omnes edules tutaque natura reperiuntur.

*Textiles* alterius familiae institutioni locum praebent hic inscriptae eodem nomine, cuius soboles itidem edules nullam noxam inferunt animalibus.

*Lamellati*, vero omnium numerosiores, habitu, consistentia inter se admodum diversi, in universum dupliciter fere habent; nempe alii veluti nudi et omni parte luxuriante, scilicet volva, id est, involucro, velo <sup>a)</sup>, annulo, squamis, fascia, bulbo, etc. exuti sunt, et alii harumce partium alterutra donantur: unde *simplices* et *luxuriantes*.

*Simplices*, ratione habitus sive capituli sive pediculi plus inminus regularis, id est, plus minus ad umbellae umbratilis formam accendentis, vel ab ipsa recedentis, triplici modo exstant, scilicet, vel omnino deformes, id est, semper absolute *irregularis*; vel *pene regulares* id est ad infundibuli formam accidentes; vel omnino *regulares*, scilicet umbellam umbratilem regularem sive pediculo recto teretique, sive capitulo probe circumdato orbiculatoe forma referentes, seu sint praeterea deformati per maturitatem seu non deformati.

**IRREGULARES** natura seu deformes quadruplici modo fere habent; nam aliis capitulum undulatum est sinuosumve, aliis incondite pulvinatum, aliis rudenter planisculum, et aliis inaequaliter cavatum, una cum pediculo aequa deformati; nam deformatas unius deformatatem alterius constanter inducit: unde fungi hujuscem categoriae *undulati*, *pulvinati*, *plani* et *cavati*.

*Irregularis undulati sinuositate*, id est, finibus, fulcis aut foveis superne exarati, ratione vel capituli vel pediculi sex modis in se distant, et totidem familias fistunt, quae hic *Gyrantes speciosi*, *Torofo-gemelli*, *Brevipedes aduncii*, *Columbares*, *Clavipedes*, et *Cuneatipedes* inscribuntur, quorum soboles aliae edules optimaeque naturae, aliae noxiae, et aliae ambiguo effectu sunt.

*Irregularis pulvinati*, id est, quorum capitulum in pulvinaris modum incondite tumescit, ratione habitus proprii similitudinum tres familias suppeditant, quae *Clavatales*, *Tuberipedes*, et *Bulbosifantes* hic inscribuntur, quarum soboles in universum noxiae.

*Irregu-*

<sup>a)</sup> De velo hoc notari meretur, quod in quibusdam haec pars veluti aranea fugaxque de se nullum vestigium relinquens, floccifacienda esse vel nulla haberi debet, cum praeterea nulla alia pars luxurians existat.

*Irregularares plani*, id est, quorum capitelli superficies superior est inordinate plana. duas familias fistunt, quae *Fungi sylvarum libratores*, et *Petafi reflexi inscriptae*, quarum species in universum a noxa non immunes.

*Irregularares cavati* unam tantum familiam statuunt, cujus soboles, ob colorem album lucidumque, *Fungi eburnei* inscribuntur, fungi valde noxii.

**FUNGI PENE REGULARES**, id est, quorum forma non omnino regularis est, omnes cavata superficie, et potius turbinem inversum vel infundibulum quam umbellam referentes, ratione faciei vel in calycis vel in infundibuli modum excavatae, sunt duplicitis ordinis, nempe *calyciformes*, vel *infundibuliformes*.

*Calyciformes* duabus familiis includuntur quae *Calyciformes fimbrii*, et *Calyciformes lenes* inscriptae, quarum species nulla noxa notantur, etiam si non edules.

*Infundibuliformes* vero, saporis ratione, duplicitis ordinis sunt, nempe non acres id est, fatui saporis, vel acres gustu et quasi piperati. Non acres duas familias fistunt, inscriptas *Infundibuliformes molles*, et *Infundibuliformes duriores*; quarum prima variae indolis species praefstat nempe esculentas optimaeque naturae, alias crudioris naturae, et alias noxae non omnino immunes; et secunda valde noxias. Acres autem id est sapore acerrimo insigniti, sunt duplicitis ordinis; nam vel lactescentes, scilicet succum lacteum manantes, vel velut exsucci, nullum liquorem lacteum fundentes: unde *Lactescentes* et *non lactescentes*. Lactescentes unam familiam praefstant, quarum soboles *Piperati lactescentes* inscribuntur, ex quibus nulla nisi crudissimae naturae, et si plures esculentae sint. Non lactescentes vero alteram familiam fistunt, quarum soboles *Piperati non lactescentes* dicuntur, plantae in universum nullius pretii, ex quibus plurimae noxa non immunes.

**FUNGI REGULARES**, id est, quorum forma ad umbellam umbratilem proxime accedit, quad capitulo faciem quadrupliciter sese habent; nam alii hujuscem partis superficiem superam rite orbiculatam sed planam gestant; alii eamdem recte fornicateam, scilicet hemisphaericam; alii eandem umbonatam, id est, umbone vel papilla in medio prominente insignitam; et alii eandem cucullatam turbinatamve, id est, in cuculli, vel extinctorii, vel tintinnabuli modum elatam; unde ex regularibus, *fungi plani*, *fornicati* seu *hemisphaericci umbonati*, et *cucullati*.

*Plani*, ratione caulis vel tortilis, vel laevis teretisque, indolisque propriae, duas familias praefstant, quae *Plani-disci torti-caules*, et *Plani-disci tereti-caules* inscribuntur, quarum species aliae esculentae, aliae noxae non plane immunes reperiuntur.

*Hemisphaericci*, ratione pediculi faciei, sunt etiam duplicitis ordinis; nam alii hanc partem mediae longitudinis habent, et alii eandem praelongam.

Qui pediculo medio donantur, ratione substantiae sunt duplicitis ordinis; nam alii succosi vel lactescentes exstant, alii exsucci. Qui succo scatent, unam familiam suppeditant, cujus soboles *Rubeolae succosae* inscribuntur, omnes eximiae notae edulesque. Qui vero exsucci, valde numerosi, ratione habitus partium, vel indolis pro-

priae,

priae, octo modis inter se distant, qui totidem familias statuunt, quae *Fungi aromata rii*, *Sericeti tortipedes*, *Lamellae falcatae*, *Muco obducti*, *Lene pulvinati*, *Fornicati arborum*, *Fornicati terrefræs*, et *Pileo rotundiores* inscribuntur, quarum species, indolis diversæ, aliae animalibus infestæ, aliae innocuae, aliae nullius effectus pretiive, et aliae eximiae notæ edulesque sunt, ut videre est in tabula.

Fungi hemisphaerici, qui pediculo praelongo insident, ipsam habent vel rectum vel tortuosum. Qui rectum habent, ratione habitus partiumque naturæ propriae inter se discrepant, novemque familias instituunt, quae *Longipedes*, *Cuticulares umbelliformes*, *Cuticulares coliformes*, *Torticulales tomentosi*, *Petasitæ hydroporii*, *Petasitæ pratenses*, *Petasitæ sylvarum*, *Clavuli auiæ*, et *Aciculosi* inscribuntur, quarum species ex una alterave aliquot vocantur in eum, caeteræ omnes nullo pretio nec usu habentur etiam innocuae.

Qui vero caule tortuoso insident, ratione in primis numeri stipitum, duas tantum familias praefant, quae *Serpentini solitarii*, et *Serpentini plures* dicuntur, quorum foiboles usu valde in universum noxiæ sunt.

*Umbonati* aequæ ac hemisphaerici valde numerosi, ratione habitus, indolis propriae colorisque comitis, novem familias includuntur, quae *Umbellæ umbonatae*, *Umbonati candidi*, *Umbonati pallidi*, *Umbonati obscuri*, *Umbonato-turbanati leucophaei*, *Umbonato mammosi*, *Umbonato-carnei*, et *Umbonato-turbanati aurantii* inscribuntur; quarum species, in hac indolis ambiguae, in illa tutissimæ naturæ edulesque reperiuntur, ut videre est in tabula.

*Cucullati* vero, scilicet, qui capitelli facie, pilei, vel turbinis, vel extintorii, etc. formam aemulant, ratione habitus, substantiae indolisque propriae, in quatuor familias dispesci possunt, quae *Cucullati perticari* vel *Pilei libertatis*, *Extintorii sicci*, *Extintorii hydroporii*, et *Atramentarii farinosi* inscribuntur, quarum species in universum parvi pretii, usus nullius effectusve, vel noxiæ reperiuntur.

FUNGI autem quartæ divisionis nempe LUXURIANTES, id est, cum partium luxuriantium apparatu, sunt duplicis ordinis; nam aliis lamellæ nigrae vel e rubro nigrescentes, et aliis nec nigrae nec e rubro nigrescentes; unde ipsorum divisio in nigrescentes, et non nigrescentes.

*Nigrescentes*, ratione substantiae liquefientis, vel siccescentis, in duas familias secantur, quae *Atramentarii liquefientes* vel *Ampullæ ad atramentum*, et *Atramentarii sicci* sive *Pratenses esculenti* inscribuntur, quarum prima species, dum recentiores, nullius effectus, imo edules, dum liquefientes vero, noxias, altera autem nullas nisi innocuas tutissimique usus, ut omni aevo celebratum est, includit.

Non nigrescentes vero, ratione praesertim substantiae, sunt in universum duplicis ordinis; nam aliis superficies sicca sicut et substantia, quae fragilis; aliis uda, substantiaque mollis: unde ex hisee *sicci* et *udi*.

*Sicci*, nempe qui sicca superficie donantur, partium luxuriantium praesertim ratione, habitusque peculiaris in quinque familias dividuntur, quae *Columellæ terrefræs*,

*Columellae arborum*, *Fusi annulati fasciative*, *Collares solitarii*, et *Collares fasciculosi*; quatum soboles, ex quatuor primis familiis nullae nisi edules innocuaeque; ex quinta vero, quaedam animalibus admodum infestae, quaedam edules tutissimique usus.

*Udi* vero, scilicet qui uda superficie prodeunt, et si numerosi et ratione partium praesertim luxuriantium inter se prima fronte valde diversi, attamen unam tantum familiam instituunt; cuius omnes soboles habitu specioso, substantia molli, superficie uda, stipite bulboso teretique, nec non lamellis eodem modo radiatis ordinatisque aequa donantur, *Bulbosique nomine insigniuntur*, quorum indoles, et si in quibusdam plane innocua, in pluribus autem nunquam tuti usus, ino admodum noxia lethalisque invenitur. Quare horumce distinctio magni momenti, in ipsoque ordine summe necessaria. Ex hisce fungis alii erumpunt absque volva, et alii e volva prodeunt, unde *non volvati*, *volvatique*.

Ex non volvatis, alii sunt valde speciosi, sed capitulum et pediculum gestant absque ulla parte luxuriante (bulbo excepto), et alii minus speciosi, quorum pediculus annulo cingitur: unde *Bulbosi nudi UMBELLAR MAGNAE dicti*, et *Bulbosi pediculo annulato*, omnes toxicam vim redolentes.

Volvati vero (nomine generico olim a Cicerone *Elvellae* dicti, quasi diceretur *e volva* vel *evolutae* fruges, unde haec vocabula *evolutio*, *evolvere*, etc.) dupli modo exstant; nempe alii e volva vix conspicua ruptaque initio et evanescente erumpunt, et alii e volva speciosa vel cuius vestigia semper conspiciuntur. Ex volvatis, volva vix conspicua, alii sunt *pediculo absque annulo*, et alii *cum pediculo annulato*: unde horumce bulbosorum duo alii ordines in universum valde noxii. Ex volvatis autem, volva conspicua, alii habent initio hoc involucrum integrum, instar folliculi aut ovi putaminis totum fungum ambiens, et alii idem involucrum frustulatim sectum initio quidem, et superficiem quasi guttata: unde generaliter hi fungi volva insignes sunt *folliculati* vel *guttati*. E folliculatis alii pediculum gestant absque annulo et propriae *Cocollae* dicuntur; et alii pediculum annulatum, et *Boleti* nomine celebrantur. E primo ordine alii sunt, quorum exquiritur esus et nulla noxa stipantur, et alii, quorum usus non aequa tutus. Ex altero scilicet ex boletis sunt alii qui, omni aevo, sapore exquisito odo-reque suavi decantati, nullam noxam inferunt, si moderate sumuntur, et alii, quorum esus summe pertimescendus formidabilisque exstat. Ex guttatis autem, *boletis guttatis* Plinio dictis, alii, numero pauci, nullam noxam inferunt animalibus, caeteri omnes vi toxica semper imbuti.

**FUNGI** tertiae divisionis scilicet **POROSI**, id est, quorum pars inferior capituli poris veluti perforatur, ob pediculum in plurimis instar caepae tumescacentem vulgo *Caepetini* aut *Cucurbitini* dicti, aliis *Suilli*, *Porcini*, sunt in genere duplicitis ordinis; nempe vel unica substantia homogenea scatent, vel substantia duplice secedenteque. Primi unam familiam fistunt et *Polypori*, Michelio auctore, inscribuntur, fungi in universum optimae naturae tutissimique usus. Qui vero substantia duplice donantur, ratione habitus cuticulaeque ipsos investientis dupli modo exstant; nam alii cuticula

con-

constanter erosa pediculo capituloque aliquantulum deformi prodeunt; et alii regula-  
riori forma cuticula investiente integra praediti exstant, cum capitulo rectius circin-  
nato et pediculo teretiori: unde horumce divisio in *porosos erosa cuticula*, et in *porosos  
integra cuticula*.

Qui cuticula erosa prodeunt, in universum melioris notae pondereque leviores  
aliis, ratione habitus, naturaeque propriae, duas praecipuas familias fistunt, quae *Cae-  
petini innoxii*, et *Caepetini spumosi* inscribuntur; ex quibus prima nullam speciem nisi  
innocuam edulemque praefiat, et altera plures edules delicatissimique faporis, et una  
nonnullas, quae noxam animalibus inferre valent. Hujusce ultimae familiae soboles,  
ratione superficiei quae in aliis tactu levis et veluti setacea, in aliis veluti venis mar-  
morosis exasperata, in aliis guttata, et in aliis paessim lacerosa, dividuntur in *setaceas*,  
*marmorosas*, *guttatas* et *lacerosas*, ex quibus setaceae omnium delicatissimae laevesque,  
et nonnullae marmorosae ex usu sunt tutissimo. Hi fungi dicuntur spumosi, quia aqua,  
in qua coquuntur, fit valde spumosa.

Qui cuticula integra constant, ratione formae pediculi aliis turbinati, aliis fusiformis,  
aliis aeque teretis, aliis clavati, in quatuor distinctas familias secantur, quae  
*Caepetini turbinati* sive proprie *Cucurbitini* dicuntur, *Caepetini fusiformes* FUNGI dicti,  
*Caepetini FERCULA LUPI* dicti, et *Caepetini clavati*, ex quibus vix una alterave species  
in usum tuto adhiberi potest, et caeterae omnes colore mutabiles, incerti vel perni-  
ciosissimi sunt usus.

FUNGI tertiae divisionis nempe UTRINQUE LAEVIGATI, parasitico modo ex  
aliis fungis originem ducentes, familiam statuunt, quae *Fungi fungorum* inscribitur, cuius  
species haud tuto sunt usu.

### CLASSIS II.

#### *Plantae fungosae membranaceae.*

PLANTAE FUNGOSAE MEMBRANACEAE dicuntur illae, quarum corpus vel  
pars praecipua ex membrana extensa vel plicata, aequali crassitie in omni punto prae-  
dicta constat.

Hae plantae generaliter duplices ordinis sunt; nam aliae parvae minorisque pre-  
tii, sessiles aut tenui scapo farcto insident; et aliae speciosae, pediculo insigni cavoque  
fastentantur; hae scilicet primae *Pezicae*, illae *Merulii* dicuntur.

*Pezicae* quinque generibus includuntur, quae *Conchites*, *Tremella*, *Poronia*, *Pe-  
zicula* et *Pezica* dicuntur.

### GENUS 9.

#### *Conchites* (Conque oreille).

CONCHITES est plantae fungosae genus membranaceum, membrana circiter linearis,  
homogenea, opaca, confluentiae coriaceae constans, ad conchae vel ad auriculae formam  
accedens.

Hujusce

Hujusce generis species, ratione habitus textusque proprii familiim statuant, quae *Conchitae auriculae* inscribitur, cuius germanae fruges textu coriaceo extensilique praeditae noxa non sunt immunes et molestiam quandam inferunt animalibus.

GENUS IO.

*Tremella* (Nostoc).

*TREMELLA* est plantae fungosae genus membranaceum, membrana circiter linearis, homogena, molli, laevi, uida lucidaque donatum, gelati solidi consistentiam aemulaus.

Hujusce generis species dupli modo exstant; nam aliae instar glaciei pellucidae sunt, et aliae non pellucidae: unde duae familiae, quarum una *Tremellae nostoc* inscripta, noxa non omnino immunes species includit, et altera species, quae *Tremellae auriculatae* dicuntur, omnes edules nullam molestiam animalibus inferentes.

GENUS II.

*Poronia* (Grain de mure).

*PORONIA* est plantae fungosae genus membranaceum, membrana circiter linearis, homogena, firma, sicca, nec extensili, nec fragili, nec tremula pellucidave praeditum, cuius superficies granulis porosis exasperata est.

Hujusce generis species unam tantum familiam sistunt ejusdem nominis, cuius fruges nullius usus, nec pretii.

GENUS 12.

*Pezicula* (Coccigrue).

*PEZICULA* est plantae fungosae genus membranaceum excavatumque, membrana tenui, circiter semilineari, sicca fragilique praeditum.

Hujusce generis species duplice modo exstant; nam aliae in cavo suo corpuscula non recondunt, et aliae corpuscula lentiformia petiolo filiformi parietibus fundi adhaerentes gestant: unde duplex familia, scilicet *Peziculae nudae* et *Peziculae lentiferae*. Nudae, ratione habitus, sunt vel fungiformes, vel tubicirae, vel auriformes, vel ollulares, et omni noxa non immunes; lentiferae vero plantae minimae nec usu, nec pretio, nec noxa sunt.

GENUS 13.

*Pezica* (Peau de morille).

*PEZICA* est plantae fungosae genus membranaceum, membrana homogena, - opaca, circiter linearis, fragili non sicca constans.

Hujusce generis species dupli modo in universum sese habent; aliae enim sessiles et absque sustentaculo e terra prodeunt, et aliae petiolis faretis veluti columnulis insident. Sessiles unam familiam instituunt, et *Peziccae sessiles* inscribuntur, ex quibus aliae edules, aliae noxa non absolute immunes. Petiolatae vero ratione formae, substantiaeque in aliis veluti ceraceae, in aliis tenerioris, duas familias sistunt, quarum soboles aliae *Peziccae auriculatae*, et aliae *Peziccae monacetiae* inscribuntur, omnes noxa immunes edulesque.

*Merulii* autem, nempe plantae membranaceae specioso habitu cavatoque pediculo, duo genera fistunt, *Morchellam* scilicet et *Phallum*.

GENUS 14.

*Morchella* (Morille).

**MORCHELLA** est plantae fungosae genus membranaceum, membrana nuda circiter linearis, extensa vel plicata, opaca, fragili teneraque, non uda, et suaveplente, pediculo insigni cavato insidente praeditum.

Difserit a Pezica, praeferitim pediculo.

Hujusce generis species sunt duplices ordinis, ratione in primis pediculi in aliis tantum cavati, scilicet fistulosi, in aliis cavati unaque cavernosi, id est, cavernulis vel lacunis passim perforati: unde harumce duae familiae, scilicet *Morchellae cavatae*, et *Morchellae cavato-cavernosae*, ex quibus prima species habitu inter se valde distantes fistit, nempe alias *calyciformes*, alias *panniformes*, alias *fungiformes*, alias *umbelliformes*, alias *mitratas*, alias *frondosas*, alias *spongiae facie*, sed omnes edules optimaeque naturae; altera vero forma non aequae distantes species ejusdem naturae edulesque.

GENUS 15.

*Phallus* (Phallus).

**PHALLUS** est plantae fungosae genus membranaceum, membrana circiter linearis, opaca, molli et uda, graveolenteque exuta involucro, pediculoque insigni cavato cavernoso-que donatum.

A *Morchella* difserit praeferitim involucro, ex quo erumpit, substantia molli et graveolente.

Hujusce generis species, et si habitu inter se distantes, nam aliae callo scrobiculato in medio aperto vel non, cooperiuntur, aliae pistilli facie, aliae umbellatae vel fungiformes, una tamen tantum familia includuntur, cuius soboles quamvis faetidissimae nullam noxam inferunt animalibus, imo quibusdam escam praebent.

C L A S S I S III.

*Plantae fungosae fastigiatae.*

Plantae fungosae fastigiatae dicuntur illae, quarum corpus homogeneum, verticaliter surgens, nullum operculum capitulumve habet, et nudum verticem mucronatum digitatumve gestat.

Hae fruges duplices sunt ordinis: nam aliae carnosae, tenera, fragilique substantia donantur, et aliae substantia dura, sicca, intus leucophaea vel albicante, extus vero pulla vel nigra: unde praecipua duo capita five ordines, quorum primus teneras fragilesque includit, et alter siccias et pullas. Hae *Clavariae* nomine indigitantur, illae *Atricaules* inscribuntur.

*Clavariae* tria genera ponunt, quae *Digitellus*, *Nostolarus*, et *Clavaria* dicuntur.

GENUS 16.

*Digitellus* (Le Doigtier).

*DIGITELLUS* est plantae fungosae genus fastigiatum, substantia fibrosa, homogenea, molli friabilique praeditum, in ditorum formam excrescens.

Una tantum familia hujuscē generis species annumerantur *Digitelli* nomine, quorum substantia ad liquationem putridam prona, ex eſu non est, nec noxa immunis.

GENUS 17.

*Noſtoclavus* (Clavaire nostoc).

*NOSTOCLAVUS* est plantae fungosae genus fastigiatum, substantia homogenea, pellicula tremulaque donatum, in palmae formam excrescens.

Una tantum familia includuntur hujuscē generis species, quae *Noſtoclavi* inscribuntur, et quorum eſus minime conducibilis.

GENUS 18.

*Clavaria* (Clavaire).

*CLAVARIA* est plantae fungosae genus fastigiatum, substantia homogenea, callosa fragilique constans.

Hujuscē generis species in universum duplicitē ſeſe habent; nam aliis corpus indiſtūm ſimplex et unicaule, aliis vero in plures partes diſtūm. Unicaules clavariae familiā ſiſtunt, cujus ſoboles, ratione faciei peculiariſ, *Clavariae piftillares* dicuntur, quarum eſus nullam noxam inſert animalibus. Diſtae vero ſunt duplicitis ordinis; aliae enim multifidae exſtant, ſed non ramosae, aliae ramosae. Non ramosae familiā ſiſtunt, cujus species, ratione formae, *Clavariae erinaceae* inſcribuntur, fruges omnes edules eximiaeque notaे; ramosae vero alteram familiā, cujus ſoboles *Clavariae coralloides*, vulgo *BARBÆ* dicuntur, in universum edules innocuaeque naturae.

Plantae ſecundi ordinis, nempe *Atricauſes*, unicum tantum genus ſiſtunt *Tuberofurculum* dictum.

GENUS 19.

*Tuberofurculus* (Truffon).

*TUBEROSURCULUS* est plantae fungosae genus fastigiatum; substantia homogenea, ſicca, dura, intus candicante vel leucophaea, extus nigra vel nigreſcente donatum, tuberum terrae ſapore odoreve aliquatenus praeditum.

Hujuscē generis species, etſi forma habituque inter ſe admodum diversae, unam tantum familiā ſiſtunt ejusdem nominis, cujus ſoboles aliae terrestres linguae vel glandis faciem referunt, aliae paraſitiae vel ſuper graminibus, vel ſuper insectis, vel ſuper ligno reperiuntur: unde tuberosurculi lingulati, glandiformes, cornuti graminum, vulgo *CLAVI SECALINI* dicti, piftillati inſectorum, et hypoxylaei; ex quibus ultimis, alii unicaules, alii digitati, alii ramosi, alii dentato-divaricati, cum ſuperficie in hiſce laevigata, in illis ſphaerulis feminiferis exasperata; omnes vero, experimento dato, avibus, ut generi gallinaceo, nullam noxam inſerentes.

CLAS-

C L A S S I S IV.

*Plantae fungosae globatae.*

Plantae fungosae globatae dicuntur illae, quarum corpus rotundatum vel globosum semina sua in interioribus recondit.

Hae plantae, ratione habitus locique natalis, sunt duplicis ordinis; nam aliae substantia homogenea praeditae, corticeque immunes, sub terra crescunt; et aliae cortice uno vel plurimis obductae, subterraneae, vel terrestres exstant: illae *Tubera*, haec *Lycoperda* dicuntur.

Tuberibus sicut et lycoperdis unicum genus ejusdem nominis unicuique datur.

G E N U S 20.

*Tuber* (Truffe).

*TUBER* est plantae fungosae genus rotundatum, una substantia homogenea callosaque praeditum, sub terra crescens et odorem peculiarem suaviter spirans.

Hujusce generis species, ratione habitus proprii, dupli modo sese habent; aliae enim superficie laevigata ad colorem candicantem plus minus accidente donantur; et aliae superficie nigra asperaque: unde duae distinctae familiae, scilicet *Tubera extus albicantia*, et *Tulera extus nigra*, quarum soboles omni noxa, si moderate sumuntur, immunes.

G E N U S 21.

*Lycoperdon* (Vesse-de-loup).

*LYCOPERDON* est plantae fungosae genus globatum, substantia duplice nempe pulposa et corticali constans.

Hujusce generis species in genere dupliciter exstant; aliae nempe sunt omnino farctae, et aliae pervine.

*Farctae* scilicet, lycoperda proprie dicta, sunt subterranea, vel non subterranea.

Subterranea familiam fistunt, nempe *Lycoperda subterranea*, omnia graveolentia admodumque noxia.

Non subterranea sunt vel magna speciosaque aut mediae magnitudinis, scilicet pism superantia, vel minora aut minima et pism mole non aequantia.

Quae magnae mediaeve sunt magnitudinis, uno vel pluribus corticibus obducentur.

Quae uno cortice, sunt vel substantia firma non dehiscente, non fatiscente, vel molli fatiscenteque, vertice lacero; unde duplex familia, scilicet *Lycoperda unicorticata dura non fatiscentia* et *Lycoperda unicorticata mollia fatiscentia*, omnia esu in universum noxio, aut quae per maturitatem perniciosa fiunt.

Quae vero plurimo cortice teguntur, alteram familiam statuunt, scilicet *Lycoperda multicorticata*, omnia esu aequo noxio.

*Lycoperda* tertii ordinis, scilicet *minora* et *minima*, sunt vel *vesiculata*, vel *tubulata* tubulis in globum glomeratis.

*Vesiculata* sunt *sessilia*, vel *stipitata*.

*Sessilia* unam familiam instituunt, scilicet *Lycoperda vesiculata*, ex quibus alia super ligno vel corticibus nascuntur, alia super graminibus **NIGELLA**, **CARBUNCULI**, **GRANORUM CRIES** dicta, omnia noxia vi imbuta.

*Stipitata* vero alteram familiam creant, scilicet *Lycoperda barbata-mucida*, nullo aut certe non tuto usu.

*Lycoperda* quarti ordinis, nempe *tubulata*, familiam alteram praefstant, nempe *Lycoperda tubularia*, quorum esus conjicitur aequa noxius.

*Lycoperda* autem secundae divisionis, scilicet *pervia* aut *non farcta*, sunt vel cancellata seu clathrata et carnosa, vel rare reticulata siccaque; unde ultimae duae familliae, scilicet *Lycoperda clathrata*, et *Lycoperda reticulata*, quorum esus clathratorum in primis, experimento dato, valde noxius.

---

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Archiv für die Botanik](#)

Jahr/Year: 1796-1798

Band/Volume: [1](#)

Autor(en)/Author(s): Paulet Joann Jacob

Artikel/Article: [TABULA PLANTARUM FUNGOSARUM 1059-1074](#)